

quartariam redegit, ordinarie tamen cum clausulis, ut omnes choro interesse tenerentur tempore adventus et quadragesimæ, diebus festis, infra octavas privilegiatas, etc. : alias chori servitium etiam reduxit ad solos dies festos, exceptis adventus et quadragesimæ temporibus, nec non solemnioribus quibusdam diebus (1). Cum de capitulis magno canonicorum numero constantibus actum est, in quibus vel proventus essent admodum tenues, vel servitium chori assiduum et quotidianum, ob aeris inclementiam, vel ob ecclesiæ distantiam a centro urbis, in qua canonici et beneficiati domicilium habent; permissum potius fuit, ut alternatim chorum frequentarent, eorum scilicet media pars per unam hebdomadam, reliqua vero per alteram; ita tamen ut tempore adventus et quadragesimæ, ac in omnibus diebus festis de præcepto, nec non per totam octavam solemnitatis Corporis Christi, aliisque diebus, quibus id convenire Episcopi iudicio visum fuerit, omnes ad chorum officia divina celebraturi accedant (2). Cum contra actum fuit de capitulis in Gallia aliisque regionibus, in quibus hoc tempore parvus est numerus canonicorum, quique præterea multa alia munia obeunt, sæpius dispensatum fuit, ut canonici non tenerentur nisi partem officii in choro explere, aut non nisi diebus dominicis et festivis (3).

§ 5. *An in Gallia, Belgio aliisque locis, ad quæ spectat concordatum 1801, canonici cathedralium tenentur ad integrum officium?*

Prænotandum est, plura et fere omnia capitula horum locorum integrum officium non recitare; pluresque Episcopos in condendis confirmandisque statutis capitularibus ex decretis Cardinalis Capraræ, permisisse, ut canonici cunctas divini officii horas impune non persolverent. Qua venia confisi canonici nulla Apostolica venia sese indigere putabant, ut in hac agendi ratione licite prosequi possent.

Ad discernendum an Cardinalis Caprara talem facultatem Episcopis concesserit, afferenda et bene perpendenda sunt ejusdem Cardinalis decreta, quæ hanc materiam concernunt.

(1) Vid. *Analecta juris Pontif.* 1866, sér. 8, fol. 1629.

(2) Ita Benedictus XIV, de Syn. lib. 13, c. 9, n. 13.

(3) Bouix de capitulis p. 3, c. 2, § IV, n. 4.

1° Decretum quo Bulla novæ circumscriptionis diocesium Galliae publicatur *Cum Sanctissimus Dominus* 9 Ap. 1802, in quo habentur : « Inter cætera quæ Nobis a Sanctissimo Domino Nostro in sæpe laudatis litteris Apostolicis mandata sunt, alterum illud est, ut suppressis jam a Sanctitate sua antiquis omnibus Gallicani territorii capitulis, nova in singulis Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, qua ratione fieri poterit, constituentur. Quod cum ita nobis commissum sit, ut facultas quoque has partes subdelegandi per memoratas litteras Apostolicas Nobis ipsis tributa fuerit : ideo hujus facultatis vigore Archiepiscopis et Episcopis Galliarum primofuturis facultatem concedimus, ut postquam canonice instituti ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in Metropolitanis et cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsi possint juxta formam a Sacris Canonibus, Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam, cum eo Dignitatum et Canonicorum numero, quem ad earundem Metropolitanarum et cathedralium Ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt. »

« Eisdem autem Archiepiscopos et Episcopos enixe adhortamur, ut quanto citius fieri poterit, supradicta facultate, ad suarum diocesium utilitatem, Ecclesiarum tam Metropolitanarum quam Cathedralium honorem, religionis decus, ac administrationis suæ levamen utantur, memores eorum quæ ab Ecclesia circa capitulorum erectionem et utilitatem sancita sunt; quod quidem eo facilius ab ipsis peragi posse confidimus, quod in ipsa supra memorata conventionem inter Sanctitatem Suam et Gallicanum Gubernium Parisiis feliciter inita statutum sit, singulos Archiepiscopos et Episcopos Gallicani territorii unum in ecclesia Metropolitana et cathedrali capitulum habere posse. »

« Ut vero in iisdem Metropolitanis et cathedralibus ecclesiis in iis, quæ ad capitula, ut supra erigenda spectant, ecclesiastica disciplina servetur, iisdem Archiepiscopis et Episcopis primofuturis curæ erit, ut quæ pertinent ad eorundem capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis eorumque choro servandos, ac alia quælibet per eorundem capitulorum Dignitates et canonicos obeunda munia, pro eorundem Archiepiscoporum et Episcoporum arbitrio et prudentia definiantur et constituentur, relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum immutandorum facultate, requisito prius

capitulorum respectivorum consilio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et opportunum judicaverint: in ipsis autem statutis vel condendis, vel immutandis religiosa sacrorum canonum observantia retineatur, usuumque, ac consuetudinum laudabilium antea vigentium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur. »

2º Decretum Cardinalis a Latere, quo Sedes Archiepiscopales vel Episcopales eriguntur. Procul dubio omnia hæc decreta ejusdem fuerunt tenoris. Sequentia autem desumpta sunt ex decreto ejusdem Cardinalis, quo Sedes Archiepiscopalis Mechliniæ erigitur *Inter cæteras* 10 Ap. 1802: « Cum sanctitas sua Apostolicis litteris mandarit Nobis... ut juxta hanc ejus prædictæ Archiepiscopalis Ecclesiæ erectionem, ad eam constituendam procedentes, cum congrua ejusdem Archiepiscopo præstanda assignatione, decerneremus, tum Sanctum Titularem Patronum, sub cujus invocatione, in ea Metropolitana Ecclesia templum majus sit appellandum, tum Dignitates et Canonicos ejus capituli, juxta præscriptum S. Concilii Tridentini, efformandi, tum ejusdem Diocesis circuitum, novosque fines, quæ quidem omnia per peculiare decretum a nobis emittendum fieri præceperit; hinc nos mandatis Sanctissimi Domini obtemperantes ejusque facultatibus nobis clementissime elargitis utentes, ad Omnipotentis Dei laudem et S. Rumoldi Episcopi et Martyris honorem, Civitatem prædictam ad Archiepiscopalis Civitatis gradum redintegramus, et quatenus opus sit, de novo erigimus, et ecclesiam, sub invocatione S. Rumoldi Episcopi et Martyris, in Metropolitanam erigimus pariter et instituimus, cum omnibus et singulis juribus, prærogativis, exemptionibus et privilegiis, quibus aliæ Metropolitanæ, de jure, vel consuetudine gaudere solent, in eaque capitulum, ex Dignitatibus et Canonicis, secundum numerum, ut infra, postmodum præfniendum, erigimus et instituimus; ita ut Dignitates et Canonicatus, in numero, ut infra, præfniendo, Metropolitanæ ecclesiæ Mechliniensis capitulum existant et constituent, atque in ea Dignitates et Canonicatus pro tempore obtinentes, chori servitium, divina officia, sacrasque functiones persolvere, et Pœnitentiarum ac Theologi adimplere munera, insigniis quoque convenientibus decorati, eo modo et forma, de quibus, relate ad hæc omnia, peculiater inferius disponemus, omnino teneantur. »

« Hisce omnibus constitutis ad cætera gradum facientes, quæ pertinent ad eandem Mechliniensem ecclesiam ordinandam, pos-

tulat rerum ordo, ut ab ejusdem ecclesiæ capitulo ducamus exordium. Inter cætera enim quæ Nobis a Sanctissimo Domino Nostro, in sæpe laudatis litteris Apostolicis mandata sunt, alterum est, ut, suppressis jam a S. S. antiquis omnibus Gallicani territorii capitulis, nova in singulis Metropolitanis et Cathedralibus ecclesiis constitueremus; quod jam superius peregimus, Ecclesiam S. Rumoldi Episcopi et Martyris in Metropolitanam instituentes, dum in ea capitulum quoque, cum Dignitatibus et Canonicis, uno eodemque tempore ereximus, sed cum eo loci dignitatum ipsarum et canonicatum numerum minime designaverimus, eam ob causam, quod Nobis exploratum non sit, quot potissimum in ea constituere expediens sit, idque primofuturus ejusdem ecclesiæ Archiepiscopus tutius et facilius judicare possit; ideo attentata facultate subdelegandi a S. S. per memoratas Apostolicas litteras Nobis concessa, eidem primo futuro Archiepiscopo de præfata Apostolica Auctoritate committimus, facultatemque concedimus, ut, posteaquam canonicè institutus, ejusdem ecclesiæ regimen actu consecutus erit, eum Dignitatum et Canonicatum numerum, quem ad ejusdem necessitatem, utilitatem atque decorem magis expedire judicabit, ad Tridentini Concilii præscriptum, præficiat, pro totidem ecclesiasticis viris, futuris dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Dignitatibus et Canonicis, qui illius capitulum a Nobis, ut supra, erectum constituent, et apud eam personaliter resideant, certisque ab eodem futuro Archiepiscopo in statutis, ut infra, vel condendis, vel moderandis, præfniendis diebus et temporibus, horas canonicas tam diurnas quam nocturnas cæteraque divina officia, servata Ecclesiæ disciplina, adinstar aliarum Metropolitanarum Ecclesiarum recitare, decantare et psallere, eidem ecclesiæ laudabiliter deservire debeant et teneantur, Archiepiscopo, in Pontificalibus peragendis, juxta receptas consuetudines ministrent et inserviant, eundemque in diocesis, prout in jure constitutum est, adjuvent administratione. »

» Potissimum vero duos ex canonicatibus constituat quibus, juxta ejusdem Tridentini Concilii leges, adnexum sit theologi ac Pœnitentiarum munus, a Canonicis, qui ad eos promoti fuerint, secundum canonicas sanctiones fideliter adimplendum. »

» Præfatis vero Dignitatibus et Canonicis, ut primo idem futurus Archiepiscopus ea insignia et choralia indumenta concedere valeat, quæ antiquæ Ecclesiæ Mechliniensis usui magis respondeant, de specialissima gratia, pari Apostolica auctoritate, facultatem indulgemus. »

„ Volumus tamen, ut præfatus primo futurus Archiepiscopus Mechliniensis postquam hæc omnia quoad capitulum Metropolitanæ suæ peregerit, actuum a se perfectorum duo exemplaria, authentica forma exarata, nobis reddenda curet, ut utrique nostram approbationem adjungamus, perpetuum Apostolicæ sanctionis, delegatæ auctoritatis nostræ vi factæ, argumentum futurum, quorum exemplarium alterum, eidem apposita confirmatione nostra, remitemus in Mechliniensis ecclesiæ archivo custodiendum; alterum vero, una cum generali decreto nostro, litterarum Apostolicarum executoriali, in Apostolicæ Sedis archivis, ad perpetuam memoriam asservabitur. „

„ Ut vero Mechliniensis ecclesia, capituli erectione peracta, tam salutaris institutionis utilitatem et ornamentum celerius valeat percipere, primo futuro itidem ejus Archiepiscopo, de specialissima gratia, eadem auctoritate Apostolica, indulgemus, ut Dignitates omnes, etiam principales, et Canonicatus, a primæva earum erectione vacantes, pro prima hac vice idoneis ecclesiasticis viris libere et licite conferre possit. „

„ Cæterum ut in eadem Metropolitana ecclesia, in iis, quæ illius capitulum concernunt, ecclesiastica disciplina servetur, eidem primo futuro ejus Archiepiscopo curæ erit, ut antiqua ejus ecclesiæ jam Apostolica auctoritate suppressæ, ac de novo nunc erectæ statuta, ordinationes, capitula, decreta, in quibus opportune ea omnia sancita sunt, quæ pertinent ad ejus prosperum et felicem statum, regimen, gubernium et directionem, ad divinorum officiorum aliarumque ecclesiasticarum functionum, anniversariorum et suffragiorum celebrationem, servitium chori præstandum, cæremonias, ac ritus in prædicta ecclesia, ejusque choro, capitulo, functionibus et aliis actis capitularibus hujusmodi servandos; officiales et ministros dictæ ecclesiæ necessarios, deputandos et amovendos, ac ministeria per ipsos obeunda ac quascumque alias res in præmissis ac circa præmissa quomodolibet necessarias et opportunas; ea omnia, uti dicebamus, antiqua statuta, ordinationes, capitula, decreta, quantum ejusdem Metropolitanæ ecclesiæ, nunc de novo erectæ et capituli in ea constituti vel constituendi rationes patientur, et in iis, in quibus locum habere poterunt, pro suo arbitrio et prudentia, collatisque cum eodem capitulo consiliis, restituat, sequatur et revocet in observantiam; ita ut eidem Archiepiscopo, prævio capituli suffragio, non solum liceat eadem statuta, ordinationes, capitula, decreta reformare,

interpretari, in meliorem formam redigere, sed etiam alia de novo et ex integro, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus minime adversantia, per eos, ad quos pertinet, et pro tempore spectabit, observanda, sub pœnis in contravenientes infligendis, condere et præscribere quemadmodum Nos, de præfata Apostolica auctoritate, plenam eidem, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus et impertimur. „

Nulla Episcopis et Archiepiscopis in his decretis datur facultas aut potestas statuendi aut dispensandi, ut aliqua hora canonica aut ulla missa conventualis in choro omittatur, sed injungitur, ut iisdem curæ sit, ut definiant et constituent quæ pertineant: 1° ad regimen, gubernium et directionem capitulorum, 2° ad divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus, et 3° ad munia a dignitatibus et canonicis obeunda: quod aliud non est, quam ut conficiant statuta, in quibus præscribitur regimen, juxta quod officium divinum et missa conventualis celebranda sint; quo determinetur, qua hora, qua solemnitate, quo ordine hæc omnia peragenda; quæ munia a dignitatibus, quæ a canonicis, et quæ a capellanis et clericis exercenda.

In his autem decretis nullam Episcopis et Archiepiscopis dari facultatem permittendi, ut aliqua hora canonica vel ulla missa conventualis omittatur, probatur: 1° quia in textu alicujus horæ aut missæ omissionis nec mentio, nec indicium occurrit: Episcopi in eo constituuntur, non dispensatores in lege universali Ecclesiæ, sed executores, qui statuunt regimen, juxta quod lex universalis dicendi in choro officium divinum, executioni demandetur. 2° Decreta hanc facultatem non concedunt, sed excludunt in sequentibus: *Archiepiscopis et Episcopis primo futuris facultatem concedimus, ut capitulum in ecclesiis suis erigere ipsi possint iuxta formam a sacris Canonibus Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam. — In ipsis statutis vel condendis vel immutandis religiosa sacrorum Canonum observantia retineatur. — Decerneremus dignitates et canonicos ejus capituli, juxta præscriptum S. Concilii Tridentini efformandi. — Facultatem concedimus ut eum dignitatum et canonicorum numerum, quem ad ejusdem necessitatem, utilitatem atque decorem magis expedire judicabit, ad Tridentini Concilii præscriptum, præficiat, pro totidem ecclesiasticis viris — qui illius capitulum constituent, et — horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, cæteraque divina officia, servata*

Ecclesie disciplina, adinstar aliarum ecclesiarum recitare, decantare et psallere, eidem ecclesie laudabiliter deservire debeant, et teneantur. — Eidem praevio capituli suffragio, non solum liceat eadem statuta, ordinationes, capitula, decreta reformare, interpretari, in meliorem formam redigere, sed etiam alia de novo et ex integro, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus minime adversantia — condere et praescribere. In his igitur decretis nedum permittitur, ut aliqua pars officii aut ulla missa conventualis omitteretur, sed expresse praescribitur, ut religiose observentur sacri Canones, Concilia et praecipue Concilium Tridentinum ac forma ab Ecclesia hucusque servata, quae omnia integrum quotidie in choro officium recitandum praescribunt; quinimo explicite praecipitur, ut canonici horas canonicas, tam diurnas quam nocturnas, caeteraque divina officia, servata Ecclesiae disciplina, recitare debeant et teneantur. 3^o Hoc insuper probatur ex reclamationibus et admonitionibus Sedis Apostolicae ad relationes de statu ecclesiarum. Si Sedes Apostolica capitula ecclesiarum, in quibus virtute decretorum supracitatorum aliqua pars officii omittitur, admoneat de obligatione in choro dicendi officium integrum; dici non potest, facultatem omittendi aliquam horam, in his decretis datam fuisse: si enim data fuisset, superflua et inutilis foret Sedis Apostolicae reclamatio et admonitio (1).

Decreta igitur Cardinalis Capraræ Episcopis non concesserunt facultatem, permittendi suis capitulis, ut in choro aliquam horam aut ullam missam conventualem omitterent. Si nihilominus Episcopi bona etiam fide, capitulis suis permiserint, ut officium v. g. nocturnum, vel aliam partem praetermitterent, sine debita facultate processerunt: vulgatissimi enim juris est, mandatario seu delegato vel subdelegato liberum non esse, mandati fines excedere, et si hos excedat, quidquid statuit, quavis vi ac robore carere.

Non juvat etiam consuetudo ab anno 1801 vel 1802 incepta, quia ut § praec. dictum est, consuetudo non excusat, nec etiam immemorabilis, nisi forte praesumptiva, qualis haec non est, cum ejus initium cognoscatur, et propterea omnis Apostolici privilegii praesumptio excludatur.

Consequitur igitur, canonicos ecclesiarum cathedralium in Gallia, Belgio aliisque locis, ad quae pertinet concordatum 1801, teneri ad integrum officium, vel saltem, si rationes excusantes habeant, ad veniam Apostolicam expetendam.

(1) Vid. Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 305, n. 119.

§ 6. De obligatione recitandi officium parvum B. M. V. officium defunctorum, psalmos poenitentiales et graduales.

Ad hunc locum de integritate officii, referenda est obligatio recitandi officium parvum B. M. V. officium defunctorum, psalmos poenitentiales et graduales diebus, quibus in rubricis generalibus breviarii tit. XXXVII, et propriis locis circa finem breviarii praescribuntur.

I. De his S. Pius V in Bulla *Quod a nobis* 1568, quae breviario Romano praepositur, haec statuit: "Quod vero in rubricis nostri hujus officii praescribitur, quibus diebus officium beatæ Mariæ semper virginis, et defunctorum, item septem psalmos poenitentiales et graduales dici ac psalli oporteat: Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea praescriptione removendum duximus; verum debito providentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia praecurrentes, illis etiam precibus, suffragiis et laudibus, suæ et aliorum saluti consulere studeant. Atque ut fidelium voluntas ac studium magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus, in rubricis praefinitis, Beatæ Mariæ, vel defunctorum officium dixerint, toties centum dies, qui vero septem psalmos, vel graduales, quinquaginta de injuncta ipsis poenitentia relaxamus. Hoc autem concedimus sine praedictis sanctæ consuetudinis illarum ecclesiarum, in quibus officium parvum beatæ Mariæ semper virginis in choro dici consueverat, ita ut in praedictis ecclesiis servetur ipsa laudabilis et sancta consuetudo celebrandi more solito praedictum officium."

II. Notat Benedictus XIV (1) onus recitandi officium B. M. V. Defunctorum, psalmos poenitentiales et graduales, virtute praefatæ Bullæ non immutari pro illis, qui breviarium Romanum in novam formam redactum, non admitterent, eoque nequaquam uterentur.

III. Pro illis qui breviario Romano utuntur, si non habeatur consuetudo, praedicta recitandi in choro, nulla remanet obligatio,

(1) Instit. 107, § 1.

ut liquet ex Bulla S. Pii (1), nisi obligatio aliunde oriatur, uti ex statutis, dispositione testatorum aliave speciali ratione.

IV. Si autem illi qui breviario Romano utuntur, eo tempore, quo Bulla S. Pii V data est, consuetudinem haberent, eadem in choro recitandi, obligatio adhuc manet, non tantum recitandi officium parvum B. M. V., cujus recitandi consuetudinem Bulla S. Pii V solummodo retinere et confirmare videtur (2), sed etiam officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales (3), licet quacumque ex causa, etiam ex suppressione capituli, consuetudo interrupta fuerit (4). Quinimo a Sacra Rituum Congregatione (5) declaratur, consuetudinem omittendi officium parvum B. M. V. officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales temporibus in rubricis breviarii Romani præscriptis, *post Bullam S. Pii V inductam, esse abusum impræscriptibilem*. Præterea non obstante rubrica breviarii, posita ante officium parvum B. M. V. a S. R. Congregatione approbatur consuetudo, in choro recitandi parvum hoc officium in dominicis et festis semiduplicibus, et etiam in duplicibus per annum (6). Licet autem adsit obligatio, eadem in choro recitandi, declaravit tamen S. R. Congregatio, *extra chorum excusari, si psalmos graduales et pœnitentiales, et officia B. M. et defunctorum non recitent* (7).

V. Quod si cathedralis recens erecta fuerit, et nulla igitur adsit consuetudo, non datur obligatio ista in choro recitandi, ut constat ex Bulla S. Pii V, juxta quam, ut detur obligatio, consuetudo existere debet, idque confirmavit S. R. Congregatio 14 Junii 1755 in *Firmana*.

VI. Hæc officia et psalmi non anticipantur in præcedentem diem, licet etiam anticipetur matutinum officii currentis, quia sunt onus diei, nisi alia adsit consuetudo (8).

(1) S. R. C. 11 Junii 1629, *Nucerina*, et 4 Sept. 1745, *Pernambucen*, ad 5; S. C. C. 28 Sept. 1754 *Montis Alti*; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 306, n. 120.

(2) Benedictus XIV Instit. 107, § 1; Cavalieri tom. 2, dec. 401, n. 2.

(3) S. R. C. 10 Januarii 1609, *Pacen*. et 28 Sept. 1675, *Compostellana* ad 2; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 306, n. 120.

(4) S. R. C. 22 Sept. 1827, *Alexandrina*.

(5) 20 Mart. 1660, *Notana*.

(6) 1 Sept. 1607 *Trojan*; 22 Aug. 1818, *Hispaten*. ad 9.

(7) 10 Januarii 1609, *Pacen*. et 2 Sept. 1741, *Aquen*. ad 9; Lucidi fol. 307, n. 123.

(8) S. R. C. 2 Aug. 1603, *Lauden*. et 31 Aug. 1839, *Ordinis Minorum S. T.* ad 3.

CAPUT XXVI.

DE LOCO, TEMPORE, ORDINE ET MODO DICENDI OFFICII DIVINI
IN ECCLESIA CATHEDRALI.

§ 1. De loco, in quo dicendum est officium divinum.

I. Officium divinum a capitulo cathedrali faciendum et persolvendum est in ipsa ecclesia cathedrali (1), nisi necessitas cogat, ut in alio loco extra ecclesiam persolvatur, et adsit licentia Episcopi (2). Ipsum nomen capituli cathedralis hoc indicat. Ecclesia cathedralis capitulo propria est, adeoque ipsum capitulum officia ejus peragere et in eadem celebrare tenetur.

II. Locus ecclesiæ cathedralis, in quo officium divinum persolvi debet, est chorus, sicut Concilium Tridentinum (3) præcipit his verbis: *Omnes divina compellantur obire officia; atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devotèque laudare* (4).

Hæc obligatio dicendi officium divinum in choro, est realis, et afficit capitulum: verum si capitulum non respondeat huic oneri, obligatio illa realis efficitur personalis, et principaliter obligat capituli superiorem et exinde singulos canonicos sub mortali ad celebrandas quotidie in choro divinas supplicationes (5).

Per chorum intelligitur locus apud altare, proprie dictus chorus: ita ut officium, non in superiori quodam cubiculo (6), neque in aliis capellis, neque in sacristia per se persolvere liceat.

III. Cum gravis igitur sit obligatio, officium divinum persolvendi in choro, non quælibet ratio sufficit, ad excusandum; nec Episcopus pro libito concedere potest, ut officium in sacristia per-

(1) S. C. C. 24 Januarii 1705, in *Atiphana*, lib. 55 Decretor, apud Pallottini, *Canonici*, § VII, n. 763-766; Scarfantonus lib. 2, tit. 2, n. 1.

(2) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 3, n. 675.

(3) Sess. 24, cap. 12 de reform.

(4) Benedictus XIV, Instit. 107, § 4; Lucius Ferraris, *Officium divinum* art. 4, n. 28.

(5) Ita Scarfantonus lib. 2, tit. 2, n. 3-6.

(6) S. C. C. 8 Junii 1782 in *Firmana*, apud Pallottini *Canonici*, § VII, n. 760.